

4

Q. B. V. D. O. M.

# PROTHEORIAM ERUDITIONIS HUMANÆ UNIVERSÆ,

MUTUO 1825  
EJUSQUE  
RARTEM PRIMAM,  
Consentiente Ampliss. Facult. Philos. In Reg. Acad.  
Aboënsi,  
Publico Examini subjiciuntur

PRÆSES  
**JACOBUS J.  
HAARTMAN,**  
PROF. Philos. & Hist. Litt. Reg. & Extraord.  
atque  
RESPONDENS  
**JONAS SLOTTMAN,**

WIBURGENSIS,  
Die XVI. Junii MDCCCLX.  
L. H. A. M. C.

---

ABOÆ, Impressit DIRECT. & TYPOGR. Reg. Magn. Duc.  
Finland. JACOB MERCKELL,



## PRÆLOQUIUM.

**E**ruditionem humanam, vastum illud & impenitum opus, contemplabimur. Sive enim objectorum multitudinem & infinitam varietatem, quæ hanc aream occupant & ingrediuntur, sive ingenii humani vim & perspicaciam, quæ eandem dimetitur & per omnia se heic diffundit, consideraveris; habebis ubique, quod demiraris, & spatia usque quaque interminata. Hanc itaque provinciam, tam amplam & arduam, non eo quidem animo nos jam in praesenti occupavimus, ac si eandem emetiri penitus & quasi exaurire quodammodo videri vellemus. Absit ista temeritas, vites nostras pertenues longe exsuperatura. Sed quod faciunt agrimensores vel peregrinatores, regiones amplissimas & longe distitas curatus lustraturi, qui turrim excelsam, speculam, locave alia edita adeunt, quo sic, quantum per vias imbecillitatem aut impotentiam licuerit, remota cum vicinis conserre, sicut & connexionem partium ad se invicem, nexumque totius, uno quasi intuitu pervidente possint: idem & nos faciemus, qui eruditionem profitemur, ejusque alumni vel candidati esse, nec videri solum, sincere cupimus; ut integrum videlicet ipsius faciem atque sciagraphiam lustremus prius oculis & reddamus no-

\*\*)) 3 (( \*\*

bis conspicuam, quam ad ipsum iter emeriendum nosmet accinxerimus. Nam ut taceam, turpe omnino haberi, in patria propria peregrinum agere vel hospitem; in comperto ponimus, perverso ordine & desultoria opera, successuque adeo quam decet minus prospero, excoli tum studia in officiis nostris litterariis, ubi vera & adæquata eruditionis notio atque idea aut ignoratur penitus, aut saltē p̄œ oculis non habetur. Hac enim excussa demum rite & in nobis excitata, genuinus ejusdem charactere menti nostræ identem obversabitur, ut hoc ipso ceu filo quodam ariadnæo arrepto, tuto heic ubique & recto tramite incedere, nec de vera via aberrare ullibi, liceat. Ergo ut pateat, quæ esse debeat meta atque cynosura studiorum nostrorum omnium, quo ve ingenii vires & mentis oculos potissimum intendere debeamus in illis excolendis rite atque pertractandis, eruditionem humanam universam ante omnia subjicere primum contemplationi nostræ, atque ad vivum quasi resecare debemus. Quod dum facimus, Tuum E. L. candorem, favoremque imprimis Summi Numinis, nobis animitus adprecamur.

## Cap. I. ETYMOLOGICUM.

## §. I.

**D**icitur autem eruditio ab erudiendo, quod nihil aliud est, qnam ex rudi & informi, crudo & aspero, planum politumque efficere. Descendit enim ab adjetivo *rudis*, e, quod propria sua notione idem est atque crudum, informe, inæquale & asperum, sveth. rå, grof, vſkapslig, vſormlig, vjånn och ouþbrukð; unde etiam *marmor* & as rude polito, *terra rудis* subactæ & exultæ, solet opponi:

ni: metaphorice vero atque translata ad mentem significacione denotat imperitum & ignarum, agrestem & incultum moribus, unde etiam homines imperiti, rerum omnium rudes Ciceroni dicuntur pro Fl. c. 8. Ita ergo generali jam notione involvit *ruditas* privationem vel absentiam istius perfectionis, pulchritudinis aut formae, quæ per naturam non inest quidem rei actu, aut eidem connatur, sed arte tamen & studio acquiri quomodounque aut superinduci eidem poterit.

## §. II.

**I**nde vero jam eruditus, in translata hac ad mentem resque animatas significatione, generali sensu denotat *tum* ipsum *actum* erudiendi sive institutionem, qua perfectio, pulchritudo & forma ista, inesse rei debita, acquiritur & superinducitur, ut cum Quintilianus de Inst. Orat. 2: 3. dicit, *potiorem eruditionem in Scholis esse, quam domi, & Hieronymus Epist. 7. ad Latam, de institutions filiæ per litteras vel buxeas vel eburneas locutus, ludat in iis, inquit, ut & Iulus ipse eruditio sit; tum vero etiam vel maxime denotat *statum* hominis inde prædictem, cultumque animi vel corporis, habitudinem aut perfectionem, ex institutione ista comparatum, ut eum dicimus hominem *præclaram eruditionem atque doctrinam* Cic. Off. I: 33. vel *ingenio præstanti & eruditione perfecta conspicuum*, quemadmodum idem se exprimit de Divin. 2: 63. in oppositione quidem ad *eruditionis omnis expertem atque ignorum* de Orat 2: 1. conf. Fabri thesaur. erud. Scholast. in vocab. *rudis*, e, cum derivatis. Atque hæc quidem est significatio, quam nos potissimum in præsenti hac nostra retractatione amplectimur.*

## §. III.

sciamini me sed qui sap. §. III. *eruditus, nimirum aut*  
*eruditus, sapientia, sapientia, sapientia, sapientia, sapientia, sapientia*

**N**eque vero putandum est, eruditionem omnem absolvī iis duntaxat partibus, quæ curriculum ita dictum Scholasticum vel Academicum hodiernum absolvunt, aut eam solum indigitari, quæ ex Litterarum studio proficiscitur. Est hæc stricta magis & eminens, quamvis tripla jam & usu recepta communis, eruditionis significatio. Ast longe tamen latius patet vis istius vocis, pro omninempe habitudine, uti jam diximus, sive animi, sive corporis, ad certas quasi regulas & ad numerum usque & mensuram attemperata, quæ arte studioque peculiari vel acquiritur & inducitur, vel acquisita & inducta jam est. Ita nim. Nepos, illustris ille de vita excellentium Imperatorum Scriptor, & vere aureus, de Epaminanda suo memoriae prodidit, eruditum sic, ut nemo Thebanus magis: nam & citharizare, & cantare ad chordarum sonum doctus est a Dionysio; cantare tibiis ab Olympiodoro, saltare a Caliphrone &c. ex quibus Epaminandam suum commendat. Vitruvius quoque, celebris ille Augusti ævo architecturæ Scriptor, in architecto suo requirit, ut omnibus eruditionibus sit exercitatus, vel abundans eruditionibus variis ac pluribus, ut verba sonant Lib. I: c. 1. operas indigitans varias artis, non mere speculativas & abstractas. Quin & oculos eruditos vocat Cicero Parad. 5. qui judicare possunt v. g. de picturis &c. Multisque experimentis eruditum dicit virum prudentem Plinius I. Epist. 5. Ita nim. parum refert, quamcumque artem aut habitudinem, vel quo demum eunque modo istam quis acquisiverit, sive diurno rerum usu & experientia propriæ, sive exemplis aliorum, sive per præcepta & vivam manudictionem, sive per litterariam institutionem, ut quis eruditus sit. Unde nec obstat, quo minus artifex quisque in sua arte; feminæ etiam, fui sexus studiis domi aut fo-

\*\*) 6 ( \*\*

ras initiate, earumque omnium, quæ ipsarum intererunt maxime, probe scientes atque gnaræ, eruditus atque eruditæ dicantur.

**S**ic illuc, ut totam hanc vocis notationem atque etymologiam verbis scriptoris cuiusdam haud quidem incelebris, ut ut in pluribus satis alias paradoxi, elegantibus finiamus, omnia ea, que operibus nonnullis construendis destinata sunt, pura, lapis ad adfiscium, vel marmor ad statuam effigiandam, cum ob inequalities, ruditatem, scabriem, inconcinnam figuram, ad scopum suum aabuc inepta sint, adeo ut bene coherere suisque adaptari finibus recusent, dienda forent proprie ERUDIRI, quando superficies ramentis suis atque inqualibus prominentiis per malleum aliqua instrumenta sic liberantur, atque ita complanantur & lavigantur, ut sine ruditate possint postea suis politæ & congrue destinatis adaptari locis. At isthac, quæ in sensu hocce proprio non potest usurpari nomenclatura, eadem metaphorica significatione ad Mentes, usu ita volente, translatæ est, quæ ERUDIRI dicuntur, quando ea deponunt, quæ scopo, ad quem condita sunt & existunt, easdem faciebant, ineptas; & cum quasi poliuntur, siue formas aut habitus acquirunt faciles, quibus ad finem suum prompe & decenter accommodentur. Pet. Poiret de Erudit. tripl. Lib. I. §. 1. p. m. 143. Ipsæ nim. hæ formæ & habitudines, sic acquisitæ, eruditionem jam constituant humanam, cui, ut dilucidius appareat, quid & quale premium tribuendum sit, status hominis naturalis ab adventio, quodque eidem connatum est ab eo, quod adquiritur demum, probe distinguendm venit. Quocirca sequentia dabi-

\*\*) 67 ( \*\*

dabimus lemmata, alio loco pressius & ex instituto examinanda, heic vero promulgidis instar accipienda.

## Cap. II. PRAGMATICUM,

### & in specie quidem de institutione exoterica vulgaris

§. V.

**H**omo, sibi post lapsum relictus, rudis est per suam naturam, b. c. intelligentia & sapientia, ceterisque perfectionibus habitualibus, tam animi tam corporis, ex libertate penitus, desitucus; sive quod eodem recidit, nemo nascitur sapiens, nec ulla sapientia aut intelligentia naturalis inter homines reperitur. Est homo sibi relictus per suam naturam facultatibus variis, tam animi quam corporis, iisdemque præstantissimis, instructus; eademque ipse, accidente usu, directione, applicatione & determinatione earum speciali & debita, ex intentione Divina Creatoris benignissimi, ad certum aliquod apotelesma tendunt. Sed in se tamen & præcisa hac determinatione & applicatione speciali considerata, a perfectionibus quibusque habitualibus, hominem rationalem vere exornantibus, quam longissime distant; ut quæ præter nudam possibilitem aut dispositionem aliquamvis vel aliter agendi, eandemque remotam fatis interdum, nullum omnino actum, nedum facultatem aliquam, præmitudinem & dexteritatem agendi, ægre alioquin & difficulter, nec nisi multa industria continuisque aliquamdiu exercitiis, quin & adminiculis insuper & artificiis variis adhibitis comparabilem, nullam præterea apparatus & subsidiorum huc spectantium copiam vel abundantiam, sive suo fovent aut involvunt. Si quæ sunt principia prima & semina artium quarumcunque & scientiarum animis mortalium inscripta qua-

\*\* ) 8 ( \*\*

si & nobiscum nata, ut volunt multo plurimi & præstantissimi quique, sunt eadem tamen in latifundio animæ altius sepulta & a communi luce seclusa adeo, ut nonnisi post longam evolutionum seriem beneficio facultatum naturalium homini concessarum extricari inde & explicari, aut in actu formalem deduci possint. Evidem vi hominis insita, eademque naturali maxime, actuari debet quicquid per essentiam & facultates ipsius concipitur possibile; plurimæque insuper facultates per naturam habituales & ad summam, quæ datur, perfectionem exactæ satis videri poterant, velut facultas sentiendi & motiva corporis. Ast quamdiu regiminis omnis adhuc expers, & nescius quasi sui juris & arbitrii est homo, quod in se ipsum & facultates suas exercere potest; cœco impetu feruntur in quidvis brutorum more, nec facultates ita dictas superiores, ab arbitrio hoc ut plurimum pendulas, in potestate habet, quarum tamen influxu vere demum rationalis existit, humanamque induunt faciem & aliam proorsus, quam in brutis habent, formam, & faciem fortiantur actus facultatum illarum inferiorum videl. sentiendi &c., quas cum brutis alias communes habemus. Actus nempe mentis reflexi, qui intellectus ingrediuntur operationes, distinctis rerum conceptibus, abstractisque & universalibus notionibus, rationisque adeo usui, viam præmuniunt; sed difficulter admodum eliciendi primum aut continuandi, nisi commode & obstetricante quasi aliena opera, si quæ adfuerit, exemplis maxime aliorum hominum, & sermonis usu, ceu instrumento ad hoc nobilissimo, excitentur, foveantur & suffulciantur, usque dum exercitiis paullatim continuatis, & successivis quasi gradibus, sponte sua semet exferere incipient, plenariusque tandem & liber rationis usus obtineatur. Longissime itaque cum differant ipsæ facultates homini congenitæ, atque usus earundem haud impeditus, hunc vero non possideat

\*\* ) 9 ( \*\*

deat homo ex se, nisi excitatus & adjutus: relinquitur, nihil omnino habere eundem acta per naturam, de quo gloriatur, quodque perfectum aliquousque & suo genere dignum habeatur, sed rudem ubique & indigestam molem; quicquid autem in homine jam adulto ceu pulchrum, concinnum & eximium admiramus, id omne acquisitum esse, & exercitiis variis, aut artificiis etiam, comparatum. Exemplis hæc ipsa abunde confirmari poterunt, tum recens natorum quotidianis, tum adultiorum etiam, inter feras solitarie educatorum, raris quidem illis & apud nos insolitis, sed passim tamen obviis, & ab Historicis fide dignis & testibus oculatis aliquoties descriptis. Notabile imprimis est exemplum, ad quod in operibus suis Latin. sèpius provocat Ill. Wolfius, pariter atque Carpoivius in Theol. Dogm. T. II. §. 1450. Schol. 3, memoriæque prodidit Bern. Connor Anglus, ad finem seculi super. Archiater Regis Polon, tum in Evangelio Medici, tum Desir. regni Polon, & M. Duc. Lithuan. Germanice conscripta Lib. I. p. 389. sqq. de puero decem circiter annorum, inter gregem ursorum in nemoribus ad Lithuaniae & Russiae confinia Anno 1694. capto, & inter ipsos educato. Erat is aspectu horridus, & ferus, hominumque consortium fugiens adeo, ut cicurari primum & mansueti paulatim deberet: pilis hirsutus & quadrupes incedebat, nec nisi erectis primum & subligatis ad patrietem manibus, gressum humanum per aliquod tempus edoceri potuit: rationis nulla indicia, & loquelæ omnis expers, vocem articulatam nullam edebat, donec dapibus humanis sensim adfæctus verba quædam rauca & inhuma na voce proferre cœpit: ignorantia crassa rerum omnium & stupiditas mira ubique regnabat, atque ad se tandem ex confortio aliorum hominum post longum tempus rediens, memoria tamen præteriorum omnium atque vitæ pristinæ destitutus proorsus mansit. Exemplum simile, quod Warsaviæ

B

Anno

Anno 1669. comparuerit, ex fide & litteris *autem* Dn.  
*J. P. van den Brande de Cleverskerk*, ad aulam Bri-  
 tannicam Ablegati Batavi, adjungit idem Connorius p. 390.  
 sq. aliudque consimile enarrat nobis *Ch Hartknochius*,  
 Professor Regiomont. & auctor fide dignissimus, in sua  
 Descr. Reip. Polon. Lib. I. p. 99. edit. 3. Anni 1698. de  
 puero 8. circiter aut 9. annorum in sylvis Grodnensi-  
 bus Anno 1661. capto, cum alter, huic socius, una cum a-  
 liis ursis, manus insequentium per loca paludinosa evasis-  
 set. Nam & hic quoque moribus plane ursinis erat, car-  
 nibus crudis, melli, pomis, aliisque ursorum deliciis avi-  
 de inhians, & more talium ferarum quadrupes in-  
 cedens: nec sine difficultate pedibus incedere facie erecta  
 edocitus est, nec lingvam Polonicam addiscere primum po-  
 tut, sed murmure ursino animi sui sensa exprimere solitus  
 est: immo ve o in aula tandem Magnatis cuiusdam ad cu-  
 linae ministeria adhibitus, ut ligna portaret, aliqua vi-  
 liora munia obiret, feritatem suam necdum plane exuit,  
 sed aliquando sylvas petiit, securus ab ursis, qui statim  
 ipsum, ut alumnum suum agnoscebant. Neque vero infre-  
 quens esse, vel fuisse saltem in Lithuania, fidem faciunt  
 Scriptores supra citati, Connorius & Dn. de Cleverskerk,  
 ut propter incursionses frequentes & prævalidas Tartarorum  
 per istas regiones, infantes ab incautis parentibus, iisdem  
 que profugis, derelinquantur sapienter vel in agro vel loco  
 alio parum commodo, ursis in prædam funestam cessuri, ni-  
 si contingat, ursam esse lactantem, ubi infans ad ursile de-  
 fertur & una cum ursulis educatur. Immo vero seculi jam  
 XI. Scriptor haud incelebris, *Herm. Contractus*, auctor Chro-  
 nici universalis de VI. mundi ætatibus, hominem iisdem me-  
 morat inter feras educarum, qui quadrupes incesserit, nec  
 fermocinari potuerit. vid. Gundlingii Hist. Litter. Tom. I.  
 p. 4. not. 3. conferri quoque heic meretur, quod Hanov.

1730.

1730. 4. prodidisse Sched. Doct. H. C. Königii de hominum  
 inter feras educatorum statu naturali solitario, testatur Reu-  
 schius in Syst. Metaph. §. 423. not.

De cetero, quod ad *habitus notitiasque homini in statu*  
*primævo concreatos* attinet, iisdem huc non pertinent; ne-  
 que controversia illa, inter eruditos agitata dudum, de *i-*  
*deis innatis & principiis primis nobiscum natis*, aliquid heic  
 facit ad rem. Sive enim cum Platonici mentem assimilaver-  
 is *tabulae rasæ*, in qua idea, mentibus semel a prima  
 earundem origine impressæ altius & insculptæ, sed post-  
 modum oblitteratae quasi & erasæ, in hac denuo vita per  
 reminiscentiam quandam restaurandæ & resuscitandæ venient;  
 sive cum Aristotelicis mentem humanam comparaveris *tabulae*  
*nudæ*, in qua nihil unquam inscriptum sit actu, sed omnia  
 demum inscribi possint: eodem tamem res recidit, eritque  
 mens humana, sibi soli relicta, rudis jam atque, ut nunc se  
 res habet, perfectionibus suis destituta. Quique vel maxi-  
 me notiones naturales, sive ideas innatas & menti nostræ  
 divinitus impressas statuunt, ut faciunt saniores omnes,  
 iisdem ideas illas non a primo nativitatis momento ita in  
 mente existere concipiunt, ut velut in chartam conjectas,  
 eas mens sibi contemplandas listat; neque ut ipsam mentis  
 naturam sive essentiam constituant aut absolvant: Sed per  
 facultatem & potentiam, propinquiorem licet & habitui a-  
 nalogam, ut loquuntur, a nativitate homini indultam, ado-  
 lescente ætate & matrescente sensim judicio, adsentiendi  
 propositionibus clarissimis & maxime fundamentalibus, theo-  
 reticis pariter atque practicis, notiones istas naturales at-  
 que ideas innatas explicant. vid. Joh. Ad. Scherzeri syst.  
 Theol. loc. II. §. 2. p. 35. Abr. Calovii Syst. Loc. Theol.  
 T. II. p. 79. sq. der Jenischen Theologen ausführl. erfl.  
 p. 151. sq. & Istr. G. Canzii comp. Theol. pur. p. 169.

## §. VI.

**H**Æc fuit propositio lemmatica prima, excipiet hanc ad finis altera: *ruditas ista naturalis*, quam primario & fundamentaliter occupare facultatem hominis cognoscitivam thesi superiori vidimus, secundario & per necessariam consequentiam afficit facultatem appetitivam, pariter atque locum motivam corporis, organorumque ipsius, in quantum regimini cuidam superiori sunt obnoxia, ut adeo tota hominis vita actionesque libere ejusdem singula, de ruditate ista participantur. Facultas nim. cognoscitiva basin constituit facultatis appetitivæ. Quicquid enim appetimus vel aversamur, id appetimus vel aversamur sub ratione boni vel mali in eo percepti; nec unquam fieri potest, ut absque motivis, quæ in plissimæ sunt representationes facultatis cognoscitivæ, inferioris vel superioris, sequatur inclinatio vel reclinatio aliqua voluntatis. Omnis igitur *animus* in voluntate & facultate appetitiva, supponit defectum & *animus* in facultate cognoscitiva & iudicio ejus practico. Quicquid nempe hic deficit aut secus se habet, quam quidem de jure & ex officio ejus fieri debebat, id in appetitivam longo consequentiarum syrmate, si non directe semper & immediate, at indirecte tamen & mediate, pro certo serpit atque irrepit. Voluntatis est decernere, finesque debitos sibi præfigere, media eligere finibusque subordinare, occasiones arripere atque in usus futuros vertere, ut tota inde vita prodeat systematica quasi, actionesque singulæ cohaerant inter se. Est vero illud rationis, & satis quidem elevata, opus; notionesque adeo & propositiones supponit longe plurimas, & plures quidem, quam quis primo quoque intuitu autumare vel rimari posset. Quod si igitur facultatem cognoscitivam tenebræ totam occupaverint, obscurisque & confusis rerum suimetve ipsius ideis mens tenetur constricta, ut quidem in naturali statu fieri debere ostendimus, quam quæso erunt dicta factaque ejus *animus* &

& incomposita omnia, quotve quantique errores & præjudicia, præter ignorantiam multiplicem, totum vitæ schema corruptent penitus & disturbabunt? Immo vero libertatem omnem, aut ejus saltem exercitium plenarium, vel sufficiabunt penitus, vel suo modo restringent adeo, ut si quid heic etiam, qua actus exteriores, apparuerit sanum aut integrum, eidem vitiis tamen quid & corrupti adhaerent de malignitate fundi; quodque rectum heic videbitur ex parte vel de longinquο, obliquum sit retortumque remansat, ubi ad totum vel systema integrum retuleris, aut quod sub cute est vel post tergum latet viri vel anomalie, determineris probe & discreveris. Igitur quo quisque magis vel minus collistratus fuerit luce veritatis, vera quidem, non apparenti, qua intellectum, eo etiam plus minus liber erit in actionibus, præstabilitque se immunem ab omni labore & ruditate morum atque affectuum. Quod autem corpus, ejusque perfectiones atque habitudines in specie attinet, deterior longe est conditio hominum, rationis usu sublati, quam animantium quidem ceterorum. Horum enim quodque in suo genere suaque specie ad certum quoddam apostolosma pro sua ipsius conservatione natura natum faciliusque esse videtur, quod longe tamen aliter & fecus omnino se habet in homine. Heic enim plurima & maxima commisit natura arti atque industria perficienda. Rationis ergo usum si sustuleris vel separaveris, quid erit de instrumento corporis, aut qualis erit usus organorum ejusdem, nisi incompositus & inordinatus? Homo certe inter bruta educatus neque gradi humano more, multo minus sermones ferre aut loquela uti potuit.

## §. VII.

**E**x dictis facile liquet, ab intellectu incipendum omnino esse vitæ emendationem rite inchoaturo, dummodo observaverit simul, ut in illis potissimum veritatisbus, iisque eruditionis partibus vel in primis sedulus versetur.

setur, quæ praxin attingunt proxime, nec ab emendatæ vîta studio paulo sunt remotiores. Neque enim omnes veritates ejusdem sunt indolis, neque perinde est, quo demum cunque modo aut animo ad easdem tractandas accesseris, ut vim exoptatam exserant in movenda atque in ordinem redigenda voluntate. Qui vult finem, is etiam velle debeat media necesse est; quodque primum est intentione, ultimum erit in executione. Evidem non ita pridem quæstio mota fuit in Academia Divisionensi Ducatus Burgundici in Gallia, num ad mores emendandos integritatique restituendos quicquam contulerit restauratio artium & scientiarum? quam ad fastidium usque eruditorum paroqua tractatione, quasi propagationem & incrementum scientiarum artiumque induculo semper nexu comitata sit corruptio morum, horumque casitas detrimenti plurimum passa sit a litteris, ita exceptit Anno 1750. *Rousseau*ius quidam, civis Genevensis, ut præmium ab academia dicta præstitutum inde reportaret, qua de re vid. Acta Erud. Lips. 1753. mens. Jan. p. 44. sq. Sed heic sene, si uspiam, thesis ab hypothesis, quodque per se locum habet, ab eo, quod accidenter sit & ex culpa hominum contingit, probe distinguendum venit. Verum quidem est & permanebit, depravata vel non recte constituta voluntate, abusui cedere multiplici atque presentissimum etiam damnum minari, quæcunque ab intellectu finito excogitari, aut actui etiam vel executioni dari vi qualicunque humana possint; fatendumque omnino est, peccatis splendidis, nec nisi simulacris virtutum, plena esse tantisper omnia, ubi vel maxime politior vita cultus accesserit, profundeque adeo & graviter ægrotare hominem ex hac parte, & implicatum ærumnis suis, ut vi nulla aut arte humana inde se extricare feliciter aut expedire queat. Sed vel sic tamen suus veritati systemati-que veritatum naturalium, aut scientiis earum conditoris,

honos manabit, ut quæ per se & in thesi utiles sene sunt, & bonis usibus accommodatae, dummodo sint, qui usus istos percipere rite vel facere sibi inde possint. Tametsi vero; ut nunc se habet conditio mortalium, non omne punctum ferant, nec finem istum, quem ultimato jam intendere deberent homines, attingant penitus vel exesse adsequantur; faciunt tamen quod in se est, ut vel faciem præferant luci existantiori pariter atque præstantiori, vel successum largiente & benedicente Summo Numine benignissimo, rerum humanarum provido, terminos aliquales sistant protervia affectibusque humanis, ne in immensum vel infinitum grassetur & prolabantur. Ne tamen plus, quam par est, iisdem tribuamus, en dabimus adhuc in uberiorem illustrationem eorum, quæ hactenus dicta sunt, propositionem sequentem, eandemque lemmaticam tertiam:

## §. VIII.

**O**mniū maxime rudis est homo per suam naturam respectu earum veritatum, quas cœn fulcræ melioris virtutis nobis suggerit Sacra revelatio cum gratia Spiritus S. applicatrice. Has enim ut profundissime ignorat homo naturalis, etiam sibi per rationis usum redditus, ita nec admittere salutariter absque gratia Dei peculiari potis est. Ut vero sunt porro haec quidem veritates exquisitæ omnino indolis, ex uberrimo quippe Sapientiæ Divinæ penu profectæ, atque tum ad intellectum defæcandum, tum ad voluntatem intime emendandam accommodatissimæ pariter atque sufficientissimæ; ita jactura vel privatio earundem tanti facienda, ut nulla arte alia humana aut industria resarciri & compensari unquam possit, quin potior pars ruditatis naturalis quæ vitam & mores semper tum remaneat, verumque heic etiam persistat, quod communiter dici solet, errorem in prima concoctione non tolli per secundam & tertiam. Sed pergitus ad propositionem lemmaticam quartam:

## §. IX.

## §. IX.

**R**uditas ista naturalis facultatem hominis cognoscitivam pariter atque appetitivam occupans & in actionibus ejusdem singulis per totam vitam maxime conspicua, contraria est & adversatur fini isti, propter quem creaturas rationales condidit benignissimum Numen. Clara itidem est per se & perspicua ista thesis, dummodo consideraverimus, usus rerum naturalium omnes esse fines Divinos; tantoque magis id valere de supremo Numine, quanto is creaturas rationales omnes sapientia & bonitate antecellit. Nam & in humanis quoque artificiis & operibus, usus, quem ex se dignunt eadem, vel ex iisdem facere possumus, finis instar habere se semper solet penes auctorem vel artificem in iisdem producendis aut construendis, ut vel exemplo id monstrari poterit navis aut domus construenda. Jam vero is benignissimus Creator iis facultatibus & viribus per naturam instruxit hominem, quibus se suaque intueri, resque extra se positas in suum pariter atque aliorum hominum usum vertere, felicitatemque adeo propriam pariter atque aliorum hominum promovere, nec non gloriam Dei Creatoris illustrare poterit, dummodo usus atque exercitium istarum virium & facultatum rectus debitusque accesserit. Itaque dum istam felicitatem hominis suamque ipsius gloriam in creatione hominis intendit Deus, intendit quoque serio usum atque exercitium debitum istarum virium atque facultatum, quo sine dictum finem actu ipso adsequi nequeunt. Jam vero ruditas illa supra dicta naturalis, qua facultatem cognoscitivam pariter atque appetitivam in homine residens, & in actionibus ejusdem maxime conspicua, consistit in non usu, aut saltem in perverso & perturbato usu facultatum & virium eidem a Deo concessarum, ideoque vel maxime contraria est & adversatur fini isti, propter quem creaturas rationales condidit benignissimum Numen.

## §. X.

## §. X.

**A**dest itaque obligatio perfecta excolendi ingenii vires, quantum a nobis fieri potest maxime: versamur namque jam in causa Dei, Supremi Legislatoris. Sed hoc etiam officium sibi expostulant homines ceteri, quibuscum versamur, maxime in republica & societate civili, pariter atque statu oeconomico privato: non enim nobis solis nati summus, sed proximo cuique. Itaque in republica, ubi communis & mutua omnium salus vel maxime respicienda erit, Principis aut Summi Imperantis cura præcipua versari debet circa culturam ingeniorum & institutionem ci-vium, cum ut compendio maximo & temporis, & operis, & sumtuum, eadem fieri, cum vero ut ad quamplurimos pertingere possit. Immo vero, cum cuique privatum sua salus propria & felicitas curæ cordique esse debeat, quisque pro viribus, si modo sapit, curam eo intendat necesse est, ut ruditatem istam supradictam removeat a se, quantum satis est & longissime potest. Itaque usus rectus & haud impeditus facultatum viriumque per naturam homini concessarum, cum cognitione sufficiente earum rerum, quibus per totam vitam utimur, ceu oppositum ruditatis naturalis a nobis jam descriptæ, meta atque finis erit, ad quem collimare quisque debet proxime, si salvus esse, felicitateque frui exoptata velit. In subordinatione nempe finium proximus est & dicitur, qui nullo alio mediante ita intenditur, ut ad remotiorem aliud, vel ultimum etiam, tandem ducat. Sane incassum laboraveris de gloria Divina illustranda absque usu virium aut facultatum a natura concessarum, quæ & ipsæ quoque specula esse debent perfectionum Divinarum; neque sua vel aliorum hominum commoda promovere quis poterit, ubi vel intellectus, vel voluntas, quod suum fuerit, non faciunt. Quocirca cum utrosque jam terminos teneamus, a quo & ad quem; ipse etiam modus atque proces-sus,

sus, quo ab uno ad alterum progredimur, siquidem nihil omnino in natura rerum fieri solet per saltum, paucis indicandus erit, quem in siam propositionem sequentem, eandemque ordine quintam, addere heic lubet atque oportet.

## §. XI.

**T**ollitur nempe ruditas ista *naturalis* quomodo quidem cunque per institutionem vulgarem exotericam, sed maxime per institutionem litterariam & acroamaticam; illam quidem laxiorem & ad caput communem accommodatam magis, hanc vero rigidam omnino & ad artis regulas exactam. Actus illos intermedios pädagogicos, quibus usus atque applicatio facultatum & virium, homini per naturam concessarum, interemerat & haud impeditus, comparatur, vel adjuvatur etiam & facilitatur, ruditas autem *naturalis* tollitur & removetur, omnes involvit eruditio illa *activa* supr. §. I., quam institutionem heic, & informationem, quod formam quasi genuinam & debitam homini largiatur, nomine specifico vocare licebit: quemadmodum vicissim apotelesmaticum illud, quod hinc demum resultat & in hominem redundat, eruditionem, passito & proprio nobis sensu, statum hominis indicante, constituit. Evidem *humanam*, quæ naturæ viribus fit, institutionem vel imprimis heic indigitamus, ita tamen, ut nec *Divinam* illam, supernaturalem & exquisitissimam, humana quaque vel artificiosissima longe superiorem, penitus secludamus; qua quippe superaccidente Job. VI: 45. Ebr. IV: 12. 13. vere demum coronatur atque nobilitatur opus nostrum, ut quantum fieri quidem per humanam imbecillatem poterit, omni numero perfecta & absolute evadat eruditio nostra. Ad duo autem capita institutio & informatio nostra omnis redit & in eadem resolvitur, tum ut facultates & vires congenitæ nobis, exercitijs debitis excitentur, soveantur, excolantur, & ad habitum deducantur; cum ut principia veri rebusque ipsis accommodata,

da, queis ceu fulcris, praesidiis & ornamentis, ad vitam honeste & commode transigendam semper & ubique utimus vel opus habemus, & quibus applicatio virium & facultatum dictarum ad casus quosque obvios speciales facilitatur atque adjuvatur, insillentur & familiaria reddantur, præsto ubique futura nobis, ubi necessitas & occasio sic postulaverit. Utrumque hunc finem intendit institutio utraque, tam exoterica, quam acroamatica, sed ita tamen, ut exquisitor acque accuratori indagini & studio hac duo capita subiiciantur in acroamatica institutione, quam quidem fieri potest commode in exoterica vulgari; præsertim qua momentum illud posterius, quod fibi fere foli maximam partem & ex professo quasi vindicare videtur acroamatica institutio. Usus scil. & exercitatio confusas solum ideas plerumque luggerens, ut in exoterica institutione utramque facit paginam, ita imitationi potius qua praxin, quam distinctæ explicationi qua theoriam, inservit maxime.

## §. XII.

**A** Tque ut in exoterica hac institutione aliquantum substitamus, de acroamatica postmodum sigillatim actuari, subsidia & adminicula huic rei & negotio adserunt præstantissima sermonis usus, pariter atque conversatio aliorum hominum, quæ quidem quo est frequentior, pariter atque selectior, hoc magis etiam culturam istam & studium promovet. Est enim homo per naturam quasi simia quedam alterius, facileque imitatur quod viderit vel audiverit ab aliis, quorum in consortio vivit; id quod fane primum rudimentum est in homine rationalitatis sive usus rationis adhuc latentis. Inde vero sit etiam, ut rure & locis a commercio aliorum hominum frequentiori longe dissipatis educati, rudes plerumque sint & agrestes disciplina atque moribus, præ illis, qui versantur in locis cultioribus. Sermonis vero ipsum quod attinet, est illud instrumentum atque artificium fa-

ne quam nobilissimum longeque præstantissimum pro usu rationis comparando, quo sine ne quicquam proficeret homo in excolandis ingenii viribus atque facultatibus, sed stupidus maneret per omnem vitam, ut quidem exemplo hominis a nativitate surdi & muti, quod describitur in Hist. Acad. Reg. Scient. Paris, Anni 1703, id commonstrat III. Wolfius Psych. Rat. §. 461. Ita enim artificio paulatim demum adseicit mens tenera universalibus & abstractis concipiendis, siquidem voces omnes, propriis nominibus paucioribus exceptis, communes sunt, indicesque conceptuum mere universalium & abstractarum. Qvæ quidem vel præcipua est ratio, cur alia omnino sit conditio pueri inter feras, atque inter homines educati: sine abstractis enim & universalibus istis notionibus atque conceptibus, nullus omnino est rationis usui locus. Hisce vero jam suppositis, admiculis generalibus, institutio tota vulgaris illa peragitur tum per exempla, tum per præcepta, tum quoque per disciplinam. Et exempla quidem huc vel maxime faciunt, in conversatione quotidiana obvia. Actiones nempe singulæ, quousque libertæ sunt & in potestate hominis, viva simulacra sunt animi interioris, vestigiaque relinquent sui fundi, unde profecta sunt, conditæque magis vel minus, aut inconditæ etiam culturæ atque disciplinæ ejusdem. Eadem vero menti teneræ ingestæ, & avide eriam ibidem, cœu in spatio rerum omnium vacuo, excepta, semina spargunt, radicesque agunt insensibiles in fundo animæ, data quavis occasione & præter opinionem citius eruptura postmodum in lucem. Inde vero clarissime quoniam elucet, quæ cautio & prudenter obversari debeat in conversatione quotidiana, ne absque selectu aut discriminé omni eandem apud quosque admittamus, aut contaminari inde vel nosmet ipsos vel teneiores animos patiamur. Verissimum namque permanebit, quod communis proverbio dicitur: consuetudinem esse alteram

ram naturam; sumi a conversantibus mores; corrupte reque bonos mores colloquia prava. Quod ad præcepta suinet, sive viva voce, sive nutu etiam gestibusque expressa, habent eadem quoque insignem vim in vita communi, si suo tempore, suoque ordine, accommoda satis fuerint ad rem, pariter atque ad captum geniumque recipientis. cfr. Prov. XXV:11. Varii namque sunt modi eorundem tradendorum, neque pari semper cum successu adhibentur singuli, sive ad lumen excitandum in intellectu, sive ardorem in voluntate & affectibus. Auctoritas quoque & reverentia, superioribus debita, & mentibus juniorum ita ingeneranda, ne cœca omnino sit & fatua, vim his superaddet maximam. Sed hæc ad disciplinam pertinent, qua sine nulla institutio bene succedere poterit, tum propter ignavam illam rationem III. Leibnitio ita dictam, inertiamque, desidiam & socordiam in cogitando & applicandis viribus, menti non teneræ solum, sed adultæ etiam sèpius, connatam ut plurimum & ingenitam; tum & propter exorbitationes, excessus & deliria, mentem aliquando infestatura. Hæc nimurum & talia disciplina conveniens coercent, pondusque & vim superadlet institutioni. Sed disciplinam heic indicamus non asperam quamque vel justo severiore, nonnisi summa urgence necessitate adhibendam, sed temperatam & innoxiam, tempestivam & blandam, quæ fit vel verbis, vel gestibus, vel præmiis & pœnis, variis quidem, sed pulchre & prudenter effectis. Hæc vero omnia & singula, quemadmodum plus artis & industria redolent in familiis honestiorum, quam plebeiorum, magisque illic, ut Ciceronis verbis utri in Verr. 3: 69. ad majorum instituta atque civitatis disciplinam accommodata sunt, non ad flagitia, neque ad turpitudines; ita iisdem iunutrita mens tenera, præclatos magis sentiet inde profectus,

et dispositio hinc sensim enascatur eidem peculiaris, immo & nifus, ad optima quæque.

### §. XIII.

**H**abet nempe utraque institutio suos *gradus*, sed exoterica vel maxime, quorum unus exquisitus magis est in suo genere, & excellentior altero, pro numero & excellentia instrumentorum, adminiculorum vel incitamentorum, quibus igniculi mentis latentes, aut habitudines congenita corpori, exsuscitantur, soventur, & adaugentur, quo citius perficiantur tandem atque ad maturitatem perveniant. Et sane quemadmodum cognitionem quamque arcanam & suo modo a sensu vulgari absconditam ad formam communis & vulgaris saepius ipsa ars reducit, ita simili quadam ratione de ipsa acroamatica institutione, efflorescente quandoque, plurimum lucratur sibi vulgaris illa exoterica. Quemadmodum e. g. ars olim fabrilis ferraria, armorum imprimis fabricandorum, arcani vel mysteriosi quid & ingenium nescio quod pumilionis portendere in patria nostra credebatur, quæ tamen nullos hodie apud nos invenit admiratores, magis quam textoria ars vel pannicularia, quæ & olim quoque in summo pretio erat; ita similiter principia Christianismi & dogmata senioris doctrinæ, etiam quam plurima altioris indaginis philosophica, publici quasi juris jam successu temporis facta & divulgata satis in ipsum vulgus, propalantur quotidie ab uno ad alterum, ut vel infimo tandem cuique ad eadem, beneficio conversationis mutuæ hominum in societate una viventium, pateat aditus, tametsi acroamaticam institutionem nullam experti sint, vel Scholas nullas, superiores saltē, adiverint. Est vero hoc

ipsum consequens quoddam & effectus ipsius institutionis acroamaticæ, vigentis jamdum in republica, patrociniumque ibidem haud leve & indigenatum quasi adeptæ, indeque orum suum & primam originem ultimato repetit, quicquid præclarri & eximii ad posteros serosque nepotes propagatur inde ulterius vulgari quadam ratione & per modum traditionis. Unde jam quoque patet, quid ad florem gentis & Reipubl. conferant studia ita dicta litteraria, artiumque quarumcunque bonarum, liberalium maxime, quantumque intersit eidem, ut vigeant ubique Scholæ omnis generis publicæ, acroamaticæ illius discipline atque institutionis domicilia atque conditoria perpetua pariter atque præcipua. Inde namque longe lateque propagantur artes quæque ingenuæ, & repanduntur scientiarum interiora, satis alioquin a sensu communi recondita, quibus efficitur, ut *scivat* illæ *eruas*, ut dici solent, radices suas agant protendantve longius in florem vitæ integroris, utque ad crescente sic cultura motum atque ingeniorum elegantiore & sincriore, a barbarie & ruditate quavis vindicetur populus, quam longissime potest. Neque enim aliunde magis rationem repetere licet discriminis inter *gentes moratores atque barbaras*, plus minus, quam prout acroamaticæ istius institutionis, & senioris quidem, vestigia apud eandem deprehendere licuerit multo plurima, vel pauciora duntaxat, vel plane nulla. Apud moratores nempe institutio vulgaris etiam exoterica eousque intenditur, atque ad illud fastigium evecta ut plurimum deprehenditur, ut acroamaticæ vices facile sustinere possit respectu aliarum gentium, quæ nullam adhuc qua vitam moresque metamorphosin talem passæ sunt, sed crassam rerum maxime utilium & necessariarum ignorantiam cum moribus quibusque asperis & inconditis profitentur. Cogita quæso hominem ex meditullio Asie, Africæ vel Americæ prodeuntem, comparandum postea

eum homine inferioris aut mediocris admodum fortis & conditionis de Gallia, Germania, Anglia &c. & videbis hunc, tametsi acroamaticam nullam, proprie sic dictam, institutionem expertus fuerit, tam qua animi indolem, quam corporis habitudinem, prodere præ illo præcellens aliquid & eximium. Sic vero, ne quid heic præter rem & in præjudicium acroamaticæ institutionis statuatur, vulgaris nostra sive exoterica institutio dicenda erit aut *absolute*, aut *secundum quid* talis.

## §. XIV.

**Q**uicquid tamen sit de hac institutione & eruditione exoterica excellentiori vel intensiori, manet nihil omnus Acroamaticæ institutioni proprie sic dictæ sua laus, suumque meritum, a qua quippe prior illa differt longissime, cum qua concinnitatem ordinis & elegantiam methodi, indeque pendentem lucem & perfectionem insignem intellectus atque harmoniam cogitationum, tum qua soliditatem pariter atque fœcunditatem dogmatum. Quod si enim & illic quoque locum aliquando habere possint veritates quæque severioris disciplinæ & acroamaticæ; aliud tamen longe est, novisse veritates istas simpliciter, aliud vero cognoscere easdem in debito suo cum aliis nexus, atque immota certitudine tenere easdem, *καὶ θεοὺς & καὶ αὐτοὺς*, ut in Scholis loquimur; aliud omnino, sibi soli sapere, aliud, sapientiam solidam aliis quoque instillare. Claras nempe ideas rerum consequimur per institutionem exotericam, & distinctas etiam rerum vulgarium & sensibilium, non item abstractarum facile & universalium; unde nec communicari commode cum aliis poterunt. Enimvero abstractis maxime & universalibus extenditur cognitio nostra, ut rebus maximis & plurimis curandis idonei reddamus in republica ci-vili, pariter atque ecclesiastica & litteraria, quæ ut curata sit in omni casu, & omni rei idonea satis ac sufficiens, per-

magni

magni sane intereat. Rationes quoque rerum proximas sa-  
líciter satis adsequimur interdum per institutionem exoteri-  
cam, at non tamen omnium, & minime quidem remotiores  
vel etiam ultimas. At præstat tamen, has quoque in num-  
erato habere, quo intius perspiciat veritas, & ne quid  
desit evidentiæ atque certitudini, quæ assensum demum fir-  
mum & omni dubio superiorem gignit, systematicæque co-  
gnitioni viam pñdit. Quod si igitur litterariam institutio-  
nem, ceu acroamaticam, sustuleris, nihil solidum aut sub-  
actum adferet secum institutio mere vulgaris & exoterica,  
tota quippe, quantacunque est, empirica & deficiens; tolle  
litteratüram omnem, tolle artes & disciplinas, & habebis  
mox barbariem præ foribus, barbarismique invalescentis  
certa indicia. Præcepta, quæ sine his in communi vita  
traduntur, exfucca sunt & exsangvia, parca etiam ad-  
modum, eademque erroribus pariter atque exceptionibus ue-  
plurimum obnoxia, ubi quippe & notionibus rerum confu-  
sis, vel obscuris etiam, & propositionibus vagis atque in-  
determinatis, identidem conceditur locus. Exempla, quæ  
que iisdem nititur imitatio casuum similiūm empirica, ad  
quā res fere omnis in vulgari ista institutione redire so-  
let, distincte satis per se non exhibent aut fistunt nobis  
semper ea ipsa, quæ pro nostro scopo qualicunque distin-  
gvenda veniunt, sed infinito singularium circumstantiarum  
tegmē implicata quasi & involuta, ut non nisi multo acu-  
mine abstrahi inde propria & peregrinis, essentialia ab ac-  
cidentalibus & heterogeneis, possint. Evidem æquipollet  
rationi exspectatio & imitatio illa casuum similiūm, si præ-  
sens revera & in totum fuerit similis præterito, typus suo  
antitypo; sed hoc supponit sane distinctam cognitionem  
circumstantiarum in utrolibet casu, ne perversa aut erronea,  
magis vel minus, fiat identidem applicatio: Unde neque  
tanta satis est, neque scopo omni sufficiens. Ita sane motus

D

varios

varios corporis organorumque ipsius elocit sumus usi solo & exercitio communis sine regulis; erunt tamen easus plurimi, in quibus distincta earum explicatio & enodatio non utilis solum, sed necessaria erit. Lingam vernaculaam didicimus, tametsi nesciamus, quid declinatio aut conjugatio, easus, numerus aut persona sit; occurrit tamen saepius dubia, in quibus ad regulas statas recurrendum erit. Rationis usui adsversum per omnes mentis operationes, ignorato vel maxime, quid sibi velit prima, secunda vel tertia figura, quid thesis sit aut hypothesis, & sic porro. At quot in syntes non prolabimur Identidem, qualiae naufragia non passi sumus saepius ex vitio formæ, quod Logica quedam naturalis perversa secum traxerat? Vitio autem materiæ, ut dici solet, laborans ratiocinia nostra quis enumerabit? campum sive Theologicum, sive Juridicum, sive Medicum, sive etiam Philosophicum ingrediamur, deprehendemus ubique, quantum cailigent oculi mentis naturales, quomodoque ex inopia artificialis luminis erronum more divagentur homines longius a veritate. Testantur id errores populares & præjudicia vulgi, quorum historiam & succinctam enarrationem commendat atque in prelio habet Morbosus Polyh. Litt. T. II. l. 2. P. I. Cap. I. §. 9. Specimina vero exhibuerunt tum Jean d' Espagne in libro gall. de erroribus popularibus, tum Th. Browne in Pseudodoxia sua Epidemica, anglie primum edita fol. atque latine non minus fol., quam Belgice & Germanice 8:o postmodum translata, quibus add. D. Johan Timmi cogitationes medico-phys. histor. de erroribus oder furze, jedoch gründliche und unparth. erörterung so wohl als gemeiner, als in der Medicin einschleuder grober irrtümmer d. vorurtheile Brem. 1732. & Traite de l' opinion, ou memoires pour servir à l' histoire de l' esprit humain, quod X. Tomis prodidit Lutet. Paris. 1733. & recensetur in Journal des Scavans Mens. Septemb. 1733.

